



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 43. Ordinatio Pauliniani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV. eloquentiæ laude floruerunt; imo & S. Pauli, A. C. 393. cuius eloquentiam, & subtilissimam artem sub stilo ad speciem simplicis, & impolito admiratur. S. Hieronymus scripsit quoque hac de materia ad Dominationem amicum suum, adversus clamores unius Monachi, quem valde contemptum habet.

Ep. 51.

§. XLIII.

Ordinatio Pauliniani.

Verumtamen S. Hieronymo potentiores adversarii erant in Oriente; quippe illo tempore inter eum, & Joannem Episcopum Jerosolymitanum magna contentio orta, cujus hæc fuit occasio. Paulinianus, S. Hieronymi frater, cum fratre in Monasterio Bethlehemitico degebat. Duo erant in hac communitate Presbyteri, S. Hieronymus, & Vincentius, ambo tanta humilitate, ut sanctum Sacrificium offerre nollent. Paulinianus, quem omnes Sacerdotio dignum judicabant, seipsum existimabat indignum, hinc, ne ordinaretur, sollicitè Episcoporum occursum fugiebat. S. Epiphanius, eorum amicus, Monasterium in loco natalitatis suæ, in Palæstina, & Diocesi Eleutheropolitana fundaverat; dum ibi commoratur, venit ad eum Paulinianus cum aliquibus Monachis, ut S. Epiphanius, ob nescio quam causam, ipsis subira-

Epiph. ad Joann. ap. Hier. ep. 60.

Hieron. ad Theoph. ep. 62. c. 3. Sup. l. XIII. §. 41

to satisfaceret; singulari Dei providentia Sæculum IV.
A. C. 393.
 sibi missum credidit S. Epiphanius, & dum
 officium in vici cujusdam Ecclesia prope
 ejus Monasterium celebratur, aliquot
 Diaconis mandat, Paulinianum, nihil ta-
 le suspicantem, comprehendere, atque
 os ejus objectis manibus comprimere, ne
 se in nomine Jesu Christi adjuraret; ita
 summopere repugnantem, & se indignum
 protestantem, ordinavit Diaconum; tum,
 ut Diaconi officii fungeretur, coegit,
 multis adductis S. Scripturæ locis eum
 permovere conatus, timorem etiam in-
 gerens, ut a Dei judiciis caveret. Post
 hæc S. Epiphanius, ad Sanctum Sacrifi-
 cium ministrantem, simili ut antea coa-
 ctione, & compressis labiis, Presbyterum
 ordinavit; (*) rursusque magnæ molis
 res fuit, persuadere, ut inter Presbyte-
 ros consideret. S. Epiphanius, Paulinia-
 no ordinato, ad Presbyteros, aliosque
 hujus Communitatis Monachos scripsit,
 arguens, quod se non monuissent per E-
 pistolas, cum jam ultra annum plures a-
 pud se quererentur, neminem esse, qui
 ibi sacra Mysteria celebraret; atque Pau-
 liniani ordinationem, tanquam Monaste-
 rio utilissimam ab omnibus fuisse exopta-
 tam. Paulinianus S. Epiphanium in Cy-
 prum

(*) Si hæc sine exaggeratione narrantur, Or-
 dinatio fuit nulla.

Sæculum IV. primum proficiscentem secutus. Eidem
 A. C. 393. obediebat tanquam ejus Clericus; non
 nunquam vero ad fratrem suum in Pa-
 læstinam invisebat.

*Hier. ep. 62.
 ad Theoph.
 c. 3.*

Joannes Jerosolymitanus hanc ordi-
 nationem impatientissime tulit; jura sua
 læsa aperte querebatur, minitatus, ad
 totius mundi judicium se appellaturum.
 Dicebat, S. Epiphano nullam in Paulinia-
 num competere jurisdictionem, neque
 in Palæstina, quam, suam esse Provinciam
 affirmabat. Querebatur, ordinatum Pau-
 linianum, cum necdum requisitam ad or-
 dinem Presbyteratus ætatem haberet;
 & tamen erat tunc Paulinianus annorum
 Ap. *Hier. ep. 60.* triginta. Tum quædam in ipso Epipha-
 nio reprehendit, atque inter alia, quod
 in precibus S. Sacrificii diceret: *Domine!
 gratiam Joanni tribue, ut, quæ vera
 sunt, credat!* Quibus verbis se hære-
 sis arguere videretur. Equidem S. Epi-
 phanius Joannem accusabat, quod erro-
 res, qui Origenis esse credebantur, tene-
 ret; hic enim inter eos lapis offensionis
 erat. Joannes querebatur, hæc sibi non
 ante objecta, quam postquam ordinatio-
 nem Pauliniani reprehendisset; id vero
 S. Epiphanius, & S. Hieronymus nega-
 bant, & e contra affirmabant, Joannem,
 dum hanc ordinationem oppugnabat,
 Spiritu vindictæ agi, quod ejus Doctrina
 erroris argueretur.

*Hier. ep. 61.
 c. 4.*

§. XLIV.